



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,  
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

Cap. 1. De libero arbitrio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13650**

Apud Aug.  
lib. 1. oper.  
imperf. con-  
tra Iul.

mentientis? De alio vero quodam opere, quod  
contra Catholicam Ecclesiam parturiebat, sic  
ipsemet Iulianus loquitur: *In libris quos ad  
fratrem nostrum Turbantium Episcopum virum ma-  
gno virtutum fulgore conspicuum contra Augustini di-  
ctavi scripta* (id est in libris quatuor contra li-  
brum primum de nuptijs & concupiscentia)  
pollicitus sum, si nihil quod studijs obfisteret, eveniret  
incommodi, occisurum me protinus eorum argumen-  
tis omnibus, qui ex sententia Manicheorum traducem  
peccati id est malum naturale defenderent: à quo sum  
hactenus varia & indissimulabili necessitate suspensus.  
Verum ut primum respirare licuit, consuluerat,  
quantum maxime tulisset ipsius rei natura breviter  
promissa complere, nisi me actuosorem denno ingredi

provinciam, beatissime Pater Flore voluisses. Hec ille.  
Sed nubes & ventus & pluvia non sequentes. Tumi-  
dus enim ille uterus non aliter videtur perve-  
nisse ad partum, nisi quia in postremis contra  
Augustinum libris, Scripturarum quarundam  
explicationes latiores inferuit. Atque hæc  
sunt quæ de scriptis Iuliani indagare potui,  
quæque de rebus gestis Pelagianorum dicenda  
judicavi.

Nunc ipsa dogmata Pelagiana & Sémipe-  
lagiana recensenda sunt & sensus eorum genu-  
nus, prout eum ipsi autores hæreseos istius  
tradiderunt & explicuerunt, & Augustinus  
ac Prosper intellexerunt, accuratius ac ube-  
rius declarandus est.

F I N I S.

CORNELII IANSENII  
EPISCOPI IPRENSIS  
DE HÆRESI PELAGIANA  
LIBER SECVNDVS.

Quo continentur dogmata ad naturam  
primi hominis spectantia.

De libero Arbitrio primi hominis.

CAPVT PRIMVM.

Pelag. in  
Epist. ad  
Demetriad.

**P**

ELAGIANOS nimia<sup>A</sup> liberi arbitrij laude ceci-  
diffe, notum est; à qua  
solemni more omnes ex-  
hortationes suas ordiri  
solebant: *Quoties, inquit  
Pelagius, mihi de institu-  
tione morum & Sanctæ vitæ  
conversacione dicendum est, soleo prius humana na-  
tura vim qualitatemque monstrare, & quid efficere  
possit ostendere. Nimirum, ut mox subnectit,  
prima Sanctæ & spiritualis vitæ fundamenta sunt,  
ut virgo, cui scribit, vires suas agnoscat, quas  
demum bene exercere poterit, cum eas se habere di-  
dicerit. Quæ superbissima prædicatio ut ido-  
neis fulceris niteretur, & probabilior Christiani-  
anis auribus animisque influeret, totam hu-  
manæ naturæ conditionem & statum inaudito  
in Christi Ecclesie commentio ipse cum disci-  
pulis perturbavit. Et à libero protoplastorum  
arbitrio rem exorsit hominem primum arbitrio  
quidem, ut fas erat, liberrimum condi-*

tum esse statuerunt, sed in libertatis explican-  
dæ ratione, proprietatibus, potestate, in  
multos errores præcipitati sunt. Quod ut di-  
lucidè percipiatur, tota liberi arbitrij essen-  
tialis definitio, & uberior explicatio ipsorum  
Pelagianorum verbis, maximeque Iuliani,  
qui eam ex professo tradidit, atque acerrimè  
contra Augustinum propugnavit, in medium  
proferenda est. Sicigitur ipse loquitur: *Sicut  
supra de iustitia & peccati definitione differimus,  
nunc quoque videamus, qua libertati arbitrij defini-  
tio competat; ut planum sit quis nostrum consentiat  
quis repugnet. Libertas arbitrij, qua à Deo emanci-  
patus homo est, in admittendi peccati & abstinendi  
à peccato possibilitate consistit. Factum est enim ani-  
mal rationale mortale capax virtutis & vitæ, quod  
posset ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata  
vel transgredi, vel magisterio naturali conservare  
humane societatis; liberumque haberet alterarum  
velle, vel partem in quo peccati & iustitiæ summa  
est. Et boni igitur possibilitas, & mali bona est,  
quoniam per se bonum facere laus virtutis est, posse  
malum*

Lib. 1. cont.  
Iul. opera  
imperf.  
fol. 118.

fol. 120.

malum facere testimonium libertatis. Per hoc igitur suppetit homini habere proprium bonum, per quod et subest posse facere malum. Tota ergo divini plenitudo iudicij tam unctam habet negotium cum libertate hominum, ut harum qui unam agnoverit, ambas noverit. Sic igitur & libertas humani custodiatur arbitrij, quemadmodum divina a quibus custodiatur. Unde sic ut harum unam qui violaverit, ambas violat. Hic intellectus liberi arbitrij est, qui & Farorum opinionem, & Chalcedonem suppurationem & Manichæorum phantasias veritate ecclesiastica subiungit. Hic intellectus est qui cum illis quos enumeravimus vos etiam a Christo monstrat alienos. Libertas igitur arbitrij possibilitas est, vel ad vitandū vel vitandū peccati expers cogentis necessitatis qua in suo prope utre habet utram suggerentis partem sequatur, id est, vel ardua asperaque virtutum, vel demersa, & palustria vitiorum. Quæ Iuliani verba & Pelagianorum sensus ut accuratius intelligantur, paululum iustranda & illustranda sunt.

Et primò, possibilitatis verbum apud Pelagianos pervulgatum est, quo non tam potestas passiva, à qua res aliqua possibilis dicitur, cui non repugnat ut fiat; sed activa potius significari solet, per quam causa dicitur posse aliquid facere. Declarat hæc satis ipse Iulianus dum quasi exponens hanc possibilitatem subiicit, hominem esse animal rationale, quod possit ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata, vel transgredi. Et infra clarius; voluntas & ante Baptisma in uno quoque delinquit, quæ illo ipso tempore pro peccato potestatem habet recedere a malo.

Apud Aug. lib. de natura & gratia c. 45.

Sic Pelagius: Dicimus cuiusque rei possibilitatem non tam in arbitrio humani potestate, quam in naturæ necessitate consistere. Ut pure loqui possim, quod loqui possim, meum non est, quod loquor, meum est.

Deinde hæc possibilitas seu potestas liberi arbitrij essentialiter consistit in quadam indifferentia ad plura, quod sæpius in citatis verbis repetitur. Idem Iulianus: Non minore plane stultitia professione, quam profanitate liberum vocas, quod dicit nisi unum velle non posse. Et alibi: Voluntas non pronuntiatur rea, quæ aliud velle non potuit. Quam indifferentiam non tantum libertati, sed etiam voluntati, eo ipso quo voluntas est esse talem esse decernunt, voluntas, inquit Iulianus, motus est animi in utroque habentis utrum sinisterior ad pravum decurrat, an dexterior ad celsa conscendat. Quod magis explanat subiiciendo: Nec est profusus voluntas, antequam velle, nec potest velle, antequam potuerit & nolle. Hauserat hanc voluntatis definitionem, et si Pelagiano sensu adulteratam, ex Augustino qui libro de duabus animabus dixerat. Quamquam si liberum non est, hoc est, ita indifferens ut pro solo libitu velle possit & abstinere, nec voluntas, hoc est, volitio, dici potest. Nam de voluntatis motu seu de volitione definienda tractabatur.

Lib. 1. operis imperf. con. Jul. fol. 150. Ibid. fol. 158.

Lib. 1. operis imperf. f. 38.

Aug. lib. de duabus animabus c. 10.

Et quidem in actionibus indifferentibus, ut sunt loqui, videre, ingredi, & similibus, indifferentiam contradictionis, quam vocant, ad agendum & non agendum censebant ad

rationem libertatis sufficere; Pelagius: Quod De natura loquor meum est, id est, propriæ voluntatis, & gratia & quia quod loquor meum est, utrumque facere possim, id est, & loqui, & non loqui: Quia vero quod loqui possim, meum non est, id est, arbitrij mei atque voluntatis, necesse est me semper loqui posse.

Cum verò ad virtutem ac vitium ventum erat, prorsus necessariam statuiebant indifferentiam contrarietatis, sive quæ est agendum bonum & malum. Hoc etiam in superioribus Iuliani verbis multis modis tangitur. Discretisque verbis non omnes Pelagiani inculcant. Pelagius: Volens Deum rationabiliter creaturam voluntariam bono munere & liberi arbitrij potestate donare, utrumque partis possibilitatem homini inferendo propriam eius fecit esse quod velit, ut boni & mali capax naturaliter utrumque posset, & ad alterutrum voluntatem desisteret. Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum nisi æque etiam malum habere potuisset. Et iterum in eadem Epistola: liberum est unum semper ex duobus (bonum aut malum) agere, cum semper utrumque possimus. Et Iulianus: Claudens unumque disputationis tue laqueis, arbitrium ante Baptisma liberum fuit: facultatem habuit faciendi boni, sicut facultatem habuit faciendi mali.

Hanc porro indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum, ut indicat in iisdem verbis Iulianus, tam essentialem esse censebant libertati ut sine illa neque bonum neque malum in moribus vel actibus intelligi posset.

Hinc Pelagius: Nec esset omnino vitæ ulla in bono perseverantis nisi ad malum transire non potuisset. Et paulo inferius: Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum nisi æque etiam malum habere potuisset. Et infra: Malique facultatem ad hoc tantum dedit ut voluntatem eius ex nostra voluntate faceremus. Hoc est, ut posset verè voluntas dici quæ Dei voluntatem faceremus. Hoc est enim quod mox adjungit: Nec est quo magis rationalis creatura ceteris præferatur nisi quæ cum omnia alia conditionis tantum ac necessitatis bonum habeant, hæc sola habeat etiam voluntatis. Succinit & accuratè Iulianus non modo in verbis quæ excutimus, dum dixit: Per se bonum facere laus virtutis est, posse malum facere, testimonium libertatis, quasi nempe aliter non esset libertas in faciendo bono nisi adesset simul potestas ad oppositum malum. Sed adhuc luculentius infra sese evolvit: Si ergo est ut ratio producit, atque inquit, quod ab initio usque ad finem sine aliquo naturalium coactis voluntatis & ante baptismum in utroquoque delinquit, quæ illo ipso tempore quo peccat, potestatem habet recedere a malo & facere bonum ut conservatio libertatis. Hoc est quod sæpius idem Iulianus cæterique Pelagiani dicunt libertatem comprehendere potestatem peccandi & non peccandi. Nam et si hoc sonare videatur indifferentiam contradictionis, nihil tamen significat aliud quam illam contrarietatem quæ

Epist. ad Democ.

Lib. 1. contra Jul. imperf. fol. 151.

Epist. ad Democ.

Ibid.

Lib. 1. operis imperf. fol. 122.

Jul. fol. 146.

quam designavimus: quippe per peccare & non peccare intelligunt ut supra dixit Iulianus, servare mandata divina vel transgredi & facere malum & bonum, peccatum & iustitiam, sequi ardua asperaque virtutum vel cernerse & palustria vitiorum. Hinc est enim, quod cum exprobrasset Augustino quod diceret liberam esse voluntatem,

Fol. 143. sed ut malum tantummodo faciat, non autem in hoc esse liberam, ut malum desinat operari; hoc est ut non peccet; mox dilucidius hoc aperiens desinit ergo, inquit, genus hominum per liberum arbitrium, nihil aliud quam peccare, nec aliud posse facere; per quod absolute pronuntias, humanam naturam unum semper cupere, quod malum est, & velle non posse contrarium. Neque minus manifeste aliquanto interius cum dixisset:

Fol. 151. Si ergo responderis, sic fieri post baptismum liberam voluntatem, ut & peccare & non peccare possit, hoc ipso pronuntias liberam non fuisse, cum utrumque non poterat: continuo exponens quid intelligat per non peccare, subiicit quasi contrarium Augustino: Facultatem habuit faciendi boni, sicut facultatem habuit faciendi mali.

Eodem plane modo Pelagius multis annis ante Iulianum ex vi libertatis hoc collegerat: quia non peccare nostrum est, hoc est, ut paulo ante exposuerat nostri arbitrij & voluntatis, possimus peccare & non peccare. Et ut intelligeremus per hæc duo, quæ contradictoria videri possunt, non nisi contraria intelligi, exprimit alibi clarius: Quod bene vel agimus vel loquimur vel cogitamus nostrum est, quia hæc omnia vertere in malum possumus. Nec mirum sane, qui enim deliberata voluntate non peccat, maxime inter vitium præceptumque constitutus, (prout ille confictus de libertate cum Pelagianis intelligitur) quid eum, nisi rectè agere iudicaverimus?

Ex hoc ergo fonte proficitur, quod cum Divus Augustinus in libris de duabus animabus istam primæ peccati, quale primi hominis fuit, definitionem protulisset: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat & inde liberum est abstinere, avidissime Iulianus eam contra peccatum originale arripuit: O lucens, inquit, aurum in stercore! Quid verius, quid plenus dici à quoquam vel orthodoxo potuisset? nimirum quod inde sequi videbatur non tantum primum, sed omnino peccatum esse debere liberum ad contraria. Voluntas enim, inquit, est motus animi in iure suo habentis, utram finitior ad prava decurrat an dexterior ad celsa contendat. Et interius: Hæc igitur voluntas qua alternatur, originem possibilitatis in libero accepit arbitrio, ipse vero operis existentiam à se suscipit: Nec est prius voluntas antequam velit, nec potest velle antequam potuerit & nolle. Nec utrumque habet in parte peccati, id est, velle & nolle antequam usum rationis adipiscatur, quibus collectis apparet te verissime designasse peccatum esse voluntas retinendi vel adipiscendi. (ita legendum loco amittendi)

A quod iustitia vetat & inde liberum est abstinere. Quibus verbis luce meridiana clarius exprimit, libertatem in moribus humanis utramque contrarietatis partem amplecti, & hoc sensu à peccatis liberum esse abstinere, quia non ei necessitas imponitur partis alterius, sed dum peccat voluntate mala bonam voluntatem potest suscipere. Imo ne quidem voluntatem esse posse, live volitionem, nisi adsit illa potestas oppositi boni & mali.

Ex istdem initio citatis Iuliani verbis vides, istam indifferentiam contrarietatis ita ab ipsis fuisse prædicatam, ut etiam ipsam mali perpetrandi potestatem utilem atque bonam esse constituerent, nempe quia, inquit, testimonium est libertatis, in bono scilicet, adeoque ex ea digniorem hominem fieri. Auci Pelagium ficillimum suæ sententiæ interpretem: Quod cum ita sit hoc quodque ipsum quod etiam malum facere possumus, bonum est, bonum inquam, quia boni partem meliorem facit. Facit enim ipsam voluntariam sui iuris non necessitate divinam, sed iudicio liberam. Audin præcipientem discipulo præceptorem? Eius est & illud: si diligenter retrahes & ad subriorem intellectum cogas animum, hinc (scilicet hæc indifferenti possibilitate) tibi melior status hominis ac superior apparebit, unde parabitur inferior.

Huc respexit ille limpidissimus Pelagianismi fons, qui dixit: Natura qua potest peccare, sicut & non peccare, si semper vinceret illi utriusque nature præmenda erat, qua ideo non peccat, quia impassibilis est, (hoc est Deo) non enim magnum videretur non peccare, quia non potest. Magnus autem si cum posset peccare non peccaret. Vides diabolicam illam superbiam hic emicare, quali vero Angeli qui steterunt, quia cadere sine peccare potuerunt Deo iudicio præferantur.

Huic igitur libertati ad bonum & malum, nihil perinde repugnare statuebant quam necessitatem. Hinc namque est, quod ejus essentiam Iulianus in possibilitate utriusque partis collocat, quam experientia cogentis necessitatis nuncupat, quod eam fato, Chaldeorum suppuratione & Manicheorum phantasijs, qui malum naturaliter fieri non libera voluntate somniabant, superiorem esse gloriatur. Hinc est quod vocat eam propulsatorem necessitatum, quod neminem velit ab intentione propria necessitate revocari. Quod absurdissime putet exclusam libertate boni vel mali cuiquam necessitatem incambere: Quod Augustino exprobrat acerbissime, liberum ab eo arbitrium, ante mali, postea boni necessitate subverti. Hinc est quod omnem arbitrij aprivitatem ad unam partem live boni live mali exhorret, tanquam isti utriusque partis naturali possibilitati, & libertatis quasi æquilibrio ex diametro repugnantem. Possibilitas, inquit, est ad hoc solum excubans ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur vel à peccato abstrahatur voluntate caprina, quam non posse capi, si dedit ipsa noluerit testatur fortitudo.

E

Et iterum

Lib. de nat. & gratia c. 49.

Degratia Christi. c. 4.

Lib. de duabus animabus. c. 11.

Iul. lib. 1. opera imperf. fol. 37.

Ibid. f. 38.

Epistola ad Damas.

Antor 99. Talam. 9. 109.

Lib. 1. operum imperf. fol. 120.

Fol. 140.

Fol. 153.

Fol. 123.

Et iterum alibi: *Ut enim ipsa verba iungamus* <sup>A</sup> quod liberatur captivum est, quod captivum est, liberum non est, quod liberum est, captivum non est. Ecce quam capitalem inimicitiam inter libertatem arbitrij & captivitatem in bono, aut in malo esse docet. Et insultans propter illam contradictionem manifestam Augustino, duo ipsa que iungit, ait, liberum & non liberum est, id est, liberum & captivum, illi quidem rei de qua agitur (libero arbitrio) convenire non possunt. Tibi vero stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem (Manicheorum significationem vult) adesse testantur. De qua necessitate vide plura ubi de peccati definitione tractavi.

Epist. ad Demetr.

Hanc autem necessitatem subinde coactionem vocat. Non enim tam intelligit coactionem proprie dictam quæ fit renitente voluntate, quam illam ad unam partem additionem, sive captivitatem, qua liberum arbitrium non nisi bonum, vel non nisi malum velle posse diceretur; sive voluntate sua reniteretur, sive non. Nam Pelagius: *Quem tantum*, inquit, *iusiurie executorem Dominus voluntarium esse voluit non coactum*: Et ideo reliquit in manu consilij sui. Et ne quis hæretet quid coactio sibi in voluntate vellet, facem ipse prætulit: *Providendum est ne ideo non vere bonum factum hominem putes, quia is facere malum potest, nec ipsa natura violentia adstringatur ad immutabilis boni necessitatem*. Vbi omnia confundens & naturam, & violentiam, & altractionem, & necessitatem, & immutabilitatem actionis bonæ, satis superque docet hoc se vocare coactionem, quæ ad unam sive boni sive mali partem affigit, ita ut ad contrarium, ut ipse latius adducit, transire non possit. Cui consentit in eadem intelligentia Iulianus. Nam quodam loco: *Vos*, inquit, *divertis Catholicam hanc fidem esse, ut liberum con-* <sup>B</sup>

Lib. 2. operis imperf. cont. Ant. fol. 215.

stratur arbitrium, sed per quod homo malum facere cogatur, & bonum velle non possit. Vbi bonum velle non posse, est idem quod cogi malum facere. Quod alibi sepe vocat necessitatem mali: alibi, in peccatum carnis sua necessitate cogi. Alibi permittet omnia, coactionem, necessitatem, naturam, & unum tantum posse: *Si*, ait, *libertas arbitrij primo est eversa peccato, & in omni deinceps hominum genere, manca adeo remansit, ut non sit ei possibile nisi tantummodo malum facere, non hoc habeat in facultate electionem partem alterius, id est recedere a malo & facere bonum, sed iniquitatis necessitate depresso appetentia criminum parere compellatur: Si facta sunt naturalia qua fuerant voluntaria. Et quodam loco exponens id quod reprehenderit, voluntatem sic esse liberam, ut vel malum tantummodo velle cogeretur: *Si*, inquit, *respondere, sic fieri post baptismam liberam voluntatem ut & peccare & non peccare possit, hoc ipso pronuntiationibus liberam arbitrium non fuisse, cum utrumque non poterat, pro ipsam habens cogi & utrumque non posse. Itaque male vocari coactionem ad bonum, quando malum velle non potest. Declarat idem Augustinus, quia qui cogitur, non vult, & quid absurdum quam ut dicatur nolens velle quod bonum est? Unde ipse Iulianus interpretis sui factus coactionem necessitatemque conparavit, cum dixit: esse possibilitatem illam experientem cogentis necessitatis, utpote, qua in suo iure habet, utram suggerentia partem sequatur. In hoc enim libertatem illam arbitrij essentialiter collocarunt unanimiter Pelagiani, quod homo habeat, ut ipsi loqui subinde solent, ut suo iure, in suaque potestate, utramlibet partem secui, & nemine in alteram impellente necessitatis alicujus impulsu, maneat voluntaria, sui iuris, non necessitate devincta, sed iudicio libera electio boni aut mali.* <sup>C</sup>*

Lib. 1. fol. 153. &amp; 154.

Lib. 1. ad Rom. c. 2. Lib. 2. fol. 30.

Lib. 1. operis imperf. fol. 151.

152.

Loco supra citato.

In libertate arbitrij imago Dei, ideo inamissibilis. Quædam de naturali possibilitate boni.

## CAPVT SECVNDVM.

Epist. ad Demetr.

**N**EQVE vero mirum cuiquam videatur Pelagianos ita de arbitrij libertate decernere; in hac enim indifferentia ad eligendum bonum aut malum imaginis illius rationem ad quam homo conditus est, & humanæ conditionis decus supra cætera animantia constitutum putant. Pelagius non obscure præfert: *In hoc gemini iuneris discrimine, in hac utriusque libertate, rationalis anime decus positum est. Hinc, inquam, totus nature honor consistit, hinc dignitas, hinc denique optimi quique laudem merentur, hinc premium. Nec aliud sane voluit Iulianus, cum ad asstruendam illam boni malique libertatem quasi rationem ex ipsa hominis*

conditione petens, addidit: *Factum est enim animal rationale mortale, capax, virtutis & vitii. Sed clarius longe alibi: Secundum (gratiæ munus) quod ut viventibus sensu ut sentientibus ratione præstatum, quæ impressa est anima, ut conditoris imago diceretur. Ad cuius aque respici dignitatem arbitrij concessa libertas.* <sup>A</sup>

Fol. lib. 1. operis imperf. fol. 118.

Fol. 138.

Cum igitur sui conditoris imaginem nullo conatu sive hominis ipsius sive dæmonis deleri ex homine posse cum Catholicis faterentur, ex hoc fonte fluxit quod istam iam descriptam hominis conditi libertatem seu naturalem possibilitatem boni quam acceperat nullo peccato amitti posse, sed sub quibuscumque tandem delictis delictorumque consuetu-